

Corpore impediēte Visionem Dei, continuo fiunt *præfentes ad Dominum*, eoque frui incipiunt. Dixi, per Corpus nunc Visionem Dei impediti, quia idem discimus ab Apostolo scribente ibidem: *Scientes, quia dum sumus in Corpore, peregrinamur a Domino. Per Fidem enim ambulamus, & non per speciem*, idest non per Visum sive Visionem. Alibi hoc ille appellat videre Deum *facie ad faciem*. Ergo evidens est, Justum peregrinantem a Corpore, hoc est, Animam illius Corpore solutam, *Præsentem esse ad Dominum*: hoc est Deum non amplius per *Fidem*, sed *per speciem*, sive *facie ad faciem* ab ipsa videri: id quod Ecclesia Catholica credendum statuit.

Evidentius eadem veritas colligitur ex aliis ejusdem Apostoli verbis ad Philippens. I. 23. *Coarctor*, inquit, *e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo: multo magis melius. Permanere autem in Carne, necessarium propter vos: Ubi Christus post gloriosam Resurrectionem suam collocatus fuerit, sacræ Literæ nobis non uno in loco aperiant. Scilicet is in Cælum ascendit; ibi sedet a dextris Dei; Christus est in gloria Dei Patris, cumque ibi stantem conspexit speciali visionis prærogativa Stephanus, dum a Judæis lapidaretur. Si Paulus cupit dissolvi, idest optat, ut e Corpore Anima dissolvatur, reputatque multo magis melius sibi futurum exui carne, quam vivere in carne: non alia certe de causa id cupit, nisi quia statim adjugetur Christo, in ejus consortio perennem Vitam, summamque felicitatem consequenturus. Quare jam tenes. Beatitatem ante Corporum Resurrectionem Justis promissam, eaque fiducia animatum Apostolum agnovisse, desiderandum sibi e præfenti vita decessum. Burnetum angit mirum in modum hic locus: ideoque ut ejus vim declinet, effugium non unum quærit. Si, inquit, *corporali præsentia se cum Christo futurum intellexit Paulus, de tempore Resurrectionis intellexit; interquiete mortis pro nibilo habita: Animæ enim a Corpore separatæ, & ab omni materia, nullum habere possunt præsentiam corporalem & externam cum Christo durante illo statu: hoc ex natura rei est impossibile. Inepte ac temere omnia, immo & impie. Apostolus ait: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, hoc est, ut quisque intelligit, Carnis farcinam deponere cupio, ut Anima mea ad Christum videndum ascendat. Homine autem Philosopho, eoque magis Christiano indignum est venditare, Animam humanam solutam a Corpore non posse, quamquam lumine gloriæ a Deo donetur, frui præsentia Christi, cum eo esse, ipsumque intueri. Angeli certe materia corporea carent, & nihilominus in Cælis semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est, inquit Christus ipse, Matth. XVIII. 10. Et poenitentis Latronis Anima sine Corpore fuit cum Christo, beatificata illius præsentia in Paradiso. Id si quis negat, Anathemate ferendus est. Burnetus deinde, si Sanctis vita sanctis præsentiam Christi spirituales internam (quali etiam in hac vita fruuntur) concedere malumus, non repugnat. Sed & hæc pugnant cum mente Pauli. Nam si, fatente Burneto ipso, & sacris Literis idem tradentibus, Sancti**